

» ferendum desyderio pacis Italiae. Nunc autem, si Deo placet,  
 » deteriori sumus conditione quam Hercules iste. Lassis siquidem  
 » et periclitantibus bello nobis, pace fruuntur alii pereunte nunc  
 » illo. Iidem illi ad arma concurrunt, ut profecto non suspicari non  
 » possumus non amore pacis convenisse, sed victoria nostra com-  
 » motos conspiravisse. Neque dictum hoc volumus propter V. S.,  
 » cui semper et honos Dei et gregis sui pax atque tranquillitas ita  
 » cordi fuit, ut ob eam rem multa magnaque incredibili ardore  
 » animi et caritate perfecit, longe plura majoraque perfectura,  
 » si per eos maxime, qui nunc paci patrocinari videntur, Sanctitati  
 » eidem vestrae licuisset. Neque etiam id dictum volumus aut  
 » propter reverendissimos cardinales, quorum sanctissimum pro-  
 » positum et desyderium communis christianorum pacis perspi-  
 » cum clarissimumque est, aut propter serenissimos Castello reges,  
 » quibus omnibus pene saeculis purissimo amore et syncera be-  
 » nevolentia devicti fuimus. Dictum fortasse fuerit propter non-  
 » nullos alios, quibus neque pax nostra neque bellum potest satis-  
 » facere. Nam cum in pace sumus, omnes adhibent artes, ut nos in  
 » bella conjiciant, et ea quidem periculosissima: cum in bello ver-  
 » samur, victores nos pati non possunt. Quid iniquius? tamen iis  
 » satisfactum non erit, satisfactum pro facto fore confidimus. S. V.  
 » aequissimae justissimae pientissimae satisfactum aequissimo ju-  
 » dici nostro Domino Jesu Christo, ejus sanctam fidem religio-  
 » nemque per annos plusquam sexcentos corporibus et sanguine  
 » tutati sumus, ejus sanctissimos vicarios pura veneratione sumus  
 » prosecuti; pro iis pugnavimus principes, reges non extimavimus  
 » pro illorum ecclesiae Romanae dignitate. Proinde, B. pater, qua  
 » decet reverentia supplicamus S. V., ut si qua reliqua est bene-  
 » merenti gratia, si quid justitiae rebus in humanis usquam est,  
 » sinat ducem istum ferrariensem ea fortuna uti, quam ipse maluit.  
 » Bellum optavit, bello expetatur; sprevit B. vestram; contempsit  
 » oblationes nostras; percipiat fructum quem meruit pertinacia.  
 » Non cedemus profecto aut dignitate aut meritis in censu duci